



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

**Parisiis, 1644**

VIII. Venientes a Nouatianis vel Montensibus quomodo suscipiendi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

*Præm. 19.* ni generis coniungerentur, ab ipso Domino sint benedicti, & Salomon dicit: *A Deo præparabitur viro uxor.* Quam formam etiam sacerdotes omnes seruare vsus ipse demonstrat Ecclesiæ. Satis enim absurdum est, aliquem credere uxorem ante baptismum acceptam, post baptismum non computari: cum benedictio quæ per sacerdotem super nubentes imponitur, non materiam delinquendi dedisse, sed formam tenuisse legis a Deo antiquitus institutæ doceatur. Quod si non putatur uxor esse computanda, quæ ante baptismum ducta est, ergo nec filii, qui ante baptismum geniti sunt, pro filiis habentur.

*Dist. 34.  
Quod si  
non.*

## VII.

*Dist. 71. De  
aliena.*

*Cor. 16. &  
17.*

Vt de aliena Ecclesia clericum ordinare nullus usurpet, nisi eius Episcopus precibus exoratus concedere uoluerit. Hoc etiam Synodus statuit Nicæna, ut abiectum ab altero clericum altera Ecclesia non recipiat.

## VIII.

Vt venientes a Nouatianis vel Montensibus, per manus tantum impositionem suscipiantur: quia quamuis ab hæreticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati: præter eos, si qui forte a nobis ad illos transeuntes rebaptizati sunt. Hi si resipiscentes & ruinam suam cogitantes redire uoluerint, sub longa pœnitentiæ satisfactione admittendi sunt.

## IX.

*Dist. 31. Te-  
nere debet.*

*Leuit. 11.  
44. & 20.*

*Luc. 1.*

Præterea quod dignum & pudicum & honestum est, tenere Ecclesia omnino debet, ut sacerdotes & Leuitæ cum uxoribus suis non coeant, quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim: *Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum Dominus Deus uester.* Nam si priscis temporibus de templo Dei sacerdotes anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus utique propter sobolis successionem uxorius vsus fuerat relaxatus; quia ex alia tribu, & præterquam ex semine Aaron, ad sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere: quanto magis hi sacerdotes vel Leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel a sacrificiis diuinis, vel a baptismatis officio vacent? Nam si beatus